

nentur; Cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Professores, plura Sacrarum Litterarum testimonia, Pontificum Decessorum nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Infuper apertissime cognovimus Auctores, quibus contrariæ sententiæ referri debent; Et eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; Neque ignoramus, quanta sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt. Quare has Litteras Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diocæsi-bus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & subjectum declaramus pœnis per sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias; Attamen pietatis vestræ studium ac religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subijcimus, executioni demandetis.

Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem ac vitium a Divinis Litteris vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque species induere, ut Fideles Christi sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditatem omnium malorum fonte rapiantur; sed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferruntur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirunt;) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, & cum usura conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; Deinde

de eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur; neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat: Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum christianæ charitatis infringunt, & gravissimam populo offensionem, & scandalum præferunt.

Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, & condiciones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui distitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam & sejunctam esse; Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has Litteras a Nobis perscribuntur: Opportunis quoque remediis consulatis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diocæsi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Postremo vobis, & Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die prima Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.



## NOS F. THOMAS RIPOLL

Sac. Theologiæ Professor, ac totius Ord. Præd. humilis  
Mag. Gen. & Servus.

**H**arum serie, nostrique auctoritate officii, facultatem, quantum in nobis est, concedibus tibi R. P. Lectori Fr. Danieli Concina, Congregationis nostræ Beati Jacobi Salomonii Venetiarum, ut possis Typis mandare Opus, cui titulus est: *In Epistolam Encyclicam BENEDICTI XIV. adversus Usuram Commentarius &c.* a te compositum, & de mandato nostro revisum, & approbatum a duobus Theologis Ordinis Nostri R. A. P. Magistro Fr. Antonino Bremond, Provinciali Daciæ, Theologo Casanatensi, ac Socio nostro, & R. A. P. Magistro Fr. Augustino Thoma Ricchini, similiter Theologo Casanatensi, & nostro Socio, servatis de jure servandis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Non obstantibus &c. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Nostro Conventu Sanctæ Mariæ sup. Min. die 17. Julii 1746.

Fr. THOMAS RIPOLL  
Magister Ordinis.

Reg. fol. 8.

Fr. Joseph Munnoz Mag. Provinc. Terræ Sanctæ, & Socius.

A P P R O B A T I O  
THEOLOGORUM ORDINIS.

**M**ulta quidem sapienter dixit prudentissimus ille senex, de quo Marcus Tullius Cicero scribit ad Quintum Fratrem: *Plus unus Cato fuerit, quam omnes leges, omnesque Judices (a).* Verum nihil sapientius umquam protulit Cato (b) quam cum rogatus diceret, quid in Republica sit *fœnerari*? Ut sceleris immanitatem declararet, unum rogavit ipse. *Quid hominem; inquit, occidere?* Qua de re laudatur hæc altera digna Catone sententia (c). *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnare; fœneratorem quadrupli oportere. Quanto pejorem civem existimaverint fœneratorem, quam furem, hinc licet existimare.* Et illud vetus fœnebre malum, quo, ut ait S. Ambrosius, (d) *populi sæpe conciderunt*, cum ubique publici exitii creberrima causa existeret, ubique passim gravissimis decretis coercitum. Quas ea de re sæpius tulit

(a) M. Tullius lib. 2. Epist. ad Quint. Frat. Epist. 16.

(b) Cato apud Tullium lib. 2. de Officiis.

(c) Cato apud Auctorem Colloquiorum Parisiensium de Usura tomo 1. pag. 128.

(d) Ambrosius Epist. 19. alias 24. ad Vigilium Tridentinum.

tulit Ecclesia saluberrimas leges, quibus usura vetita, nemo unus ignorat. Omnibus etiam compertum, & exploratum, quam frequenter obviam itum variis illis fraudibus, quibus quasi quibusdam velis ac insidiosis involucris tegere conabantur usurarum nequitiam. At quod, toties repressæ, miras per artes rursus oriri non ita pridem tentaverint usuraræ fraudes, eo diligentius retundenda erant improba fœneratorum tela, quo difficilius videbatur, ut inter ipsa Viri Catholici diu versarentur incolomes. Scilicet impius grex *Jansenistarum* cum *Calviniano* jam conspiraverat ad Catholicorum perniciem, & ex istis incautos reperire erat, quibus venenata tela in deliciis habebantur. Quæ cum ita essent, provide factum, ut perniciosos errores, quibus *Jansenistæ*, & *Calviniani* Catholicos implicare jam nitebantur, omni mora seposita, damnaret Apostolica Sedes, ne latius in dies id genus deliramenta diffunderentur. Hinc jure ac merito gratulantur sibi Viri Catholici, quod præ oculis habeant Encyclicam Summi Pontificis Epistolam, diligentia, eruditione, prudentia, sententiisque resertam, qua dum *Petrus* per os *BENEDICTI XIV.* locutus est, docens Ecclesiam, totis opibus amputavit quidquid ea de re fuerat hæreticorum contagione fœdaturum. Cum vero P. Daniel Concina Librum ediderit, cui titulus: *In Epistolam Encyclicam BENEDICTI XIV. adversus Usuram Commentarius &c.* Opus illud egregium jussu Reverendissimi Patris Thomæ Ripoll, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistri Generalis, avidis oculis perlegimus, nec aliquid offendimus, quod vel a fide, vel a morum regulis alienum sit: immo nobis pergratissimum contigit, quod Clarissimus castioris Ethices assertor audierit Ambrosium loco laudato de usura dicentem: *Nobis Sacerdotibus id præcipue curæ sit, ut ea vitia recensemus, quæ in plurimos videntur serpere; &* qua est eruditione, Commentarium scripserit omni laude dignum.

Ita censemus Romæ in Conventu S. Mariæ supra Minervam die 6. Augusti 1746.

Fr. Antoninus Bremond Ordinis Prædicatorum, S. T. Magister,  
Provincialis Daciæ, & Collegii Casanatensis Theologus.

F. Thomas Augustinus Ricchinius S. T. Magister, Collegii Casanatensis  
Theologus.

A P P R O B A T I O.

**D**ecretalem Epistolam, qua Sapientissimus Pontifex *BENEDICTUS XIV.* Catholicæ Ecclesiæ doctrinam adversus pravas, quæ de fœnore opiniones irreperant, constabilivit, atque firmavit, & una simul prudentissimas æque, ac sanctissimas præstituit Regulas, quibus in contractibus, aliisque negotiationibus ab usura cavendum esset, commentatus est eruditissimus Vir Daniel Concina ex Dominicana familia, non tam Sacrarum Concionum laude, quam multiplici Librorum editione in litteraria Republica clarus. Hujus itaque privati Doctoris *Commentarium* cum de mandato Reverendissimi Sacri Palatii Magistri inspexerim, & quoad vires ferebant meæ undequaque scrutatus sim, tanta doctrina resertum, tanta methodo, ac perspicuitate, elucubratum inveni, ut mihi ipsum legenti luculentissime apparuerit nihil in hac falebrofa, & perdifficili



materia potuisse melius a Pontifice Max. definiri, nihil ab eodem prudentius omitti. Quamobrem nihil ob stare cenfeo, quin Typis mandetur.  
Ex meis ædibus tertio Kal. Febr. 1746.

*Thomas Antonius de Emaldis ab intimo Cubiculo, & Epistolis latinis SS. D. N. BENEDICTI XIV. & in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio SS. Canonum Antecessor.*

## A P P R O B A T I O

**T**heologicum Opus, cui titulus in Epistolam Encyclicam BENEDICTI XIV. Commentarius studio, & cura eximii Viri P. Danielis Concina elaboratum, summa animi jucunditate perlegi, hanc mihi provinciam demandante Reverendissimo P. Aloysio Nicolao Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistro. Egregius enim Auctor Thomistica Scholæ præsidio munitus, & adversus laxiores opiniones stylum exercens, in id maxime incumbit, ut legentes non delectet tantum, verum etiam maximam illis afferat utilitatem: idque præsertim præstat in hoc eruditissimo Commentario, in quo confutat Nicolai Broedersen, & aliorum circa usuras pestilentem falsissimamque doctrinam: simulque occasione accepta exagitat, atque ex Pontificiæ Epistolæ inconcussis præceptionibus, & monitis celeberrimis oppugnat, quæ circa eandem materiam benigniores quidam Catholici nuper tradiderunt. Quapropter Commentarium hunc ego quidem (salvo meliori judicio) dignum arbitror, ut proferatur in lucem, tum ad redarguendam revincendamque illorum perversitatem, qui pecunias, sive res alias dando mutuas, ipsumque mutuum fucis obtegendo fedissima usuræ labe inquinantur; tum ad omnes commonefaciendos, instruendosque, ut Sanctissimi æque, ac Sapientissimi Pontificis sacrosanctas institutiones præ oculis habeant, & custodiant.

Ex Angelica Bibliotheca die 14. Julii an. 1746.

*F. Joannes Laurentius Berti Augustinianus.*

# I N D E X

## CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

DISSERTATIO I.	§. III.
CAPUT I.	ERROR PRIMUS, ET SECUNDUS,
Errores, qui edendæ Decretali viam aperuere. Pag. 1.	Evidenti consecutione confixus ex communi mutui finitione, in laudato Epistolæ textu probata. 16
CAPUT II.	§. IV.
Synopsis Encyclicæ Epistolæ BENEDICTI XIV. Errores in eadem damnati. Commentarii nostri partitio. 7	ERROR TERTIUS,
CAPUT III.	Qui ex Pontificiæ Epistolæ damnatus inferitur, quemque excogitavit Author libelli inscripti: Traite de la pratique des Billets. 17
TEXTUS EPISTOLÆ PONTIFICÆ.	CAPUT V.
§. UNICUS.	§. I.
Quam provide, sapienterque Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola nihil de contractibus, qui controversæ causam præbuerunt, decernere in præsens constituerit, & quam prudenter disulerit librorum, qui confixas opiniones continent, damnationem. 11	Duo Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. quæ in discrimen adducta erant, definit. Alterum usuram peccatum esse. Alterum usuram in mutuo Sedem, locumque habere. 19
CAPUT IV.	§. II.
TEXTUS EPISTOLÆ PONTIFICÆ.	Quam necessario duos præfatos articulos BENEDICTUS XIV. definerit, ex variis usurarum acceptionibus evincitur. 20
§. I.	ERROR QUARTUS PROSCRIPTUS,
Quæ in hoc Pontificiæ Epistolæ textu præsumantur, quæve improbantur. 14	Quem docet Nicolaus Broedersen, cum suo Interprete Italo. ibid.
§. II.	§. III.
Communis mutui finitio explicatur. 15	Juxta Patres omnes notio usuræ est lucrum ex mutuo exactum, aut speratum. 22
	§. IV.



## §. IV.

## ERROR QUINTUS,

A Salmasio, aliisque contra definitionem Usuræ in Epistola Pontific. probatam, excogitatus. 23

## §. V.

## ERROR SEXTUS,

Qui proscribitur inferitur ex laudato Epistola Pontificæ Textu, quemque nonnulli Recentiores docent, singularem aliam de usura finitionem invehentes. 26

## §. VI.

Brevis animadversio in usura finitiones, quas ex Theologis, & Canonistis congerit Nicolaus Broederfen. Illius Errores, & fraudes. 29

## CAPUT VI.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## ERROR CAPITALIS

Nicolai Broederfen, & ejusdem Itali Interpretis, qui defendunt in mutuo non transferri dominium, damnatus in laudato Pontificio Textu. 30

## CAPUT VII.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. I.

Doctrina Catholice capita adversus usuram. 39

## §. II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF. 40

## §. III.

Controversiæ status pleno in lumine collocatur. ibid.

## §. IV.

BENEDICTUS XIV. Pontifex Sapientissimus expositam controversiam definiit. Omnem usuram, sive magnam, sive parvam, sive moderatam, sive excedentem, sive a pauperibus, sive divitibus, sive ab iis, qui pecuniam mutuatitiam tenent otiosam, vel prodigunt, sive ab iis, qui eandem quaestuosis negotiis impendunt, perceptam, improbat ut criminiosam, & justitiæ commutanti adversam. Errores recens excitatos rejicit proscribitque. 47

## §. V.

Ineptissimum sophisma, quod pecunia non mutuo detur, sed ad interesse: Non ad imprestito, sed ad lucrum, reprobat Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. his verbis „ ne aditum relinquaris „ ineptis illorum sermonibus, qui „ dicitant de usuris hoc tempore „ quaestionem institui, quæ solo nomine „ ne contineatur. “ 48

## §. VI.

Sententia Authoris Itali, qui libro inscripto: Dell' impiego del danaro, in Compendium redegit Opus Broederfen, pleno in lumine ponitur. Impostura, quam Author iste impingit Romanæ Ecclesiæ, in qua Saeculo XIII. mutatam esse de usura doctrinam scribit, penitus profligatur. 49

## CAPUT VIII.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. I.

Recensentur Scripturarum Testimonia, quæ omnem usuram sive parvam, sive magnam, sive a divitibus, sive a pauperibus exactam improbant. 54

## §. II.

EX LIBRO EXODI Cap. 22. V. 25. ibid.

## §. III.

EX LEVITICO. Cap. 25. V. 35. 55

## §. IV.

EX DEUTERONOMIO. Cap. 23. V. 19. ibid.

## §. V.

EX PSALMO 14. V. 1. & seq. 56

## §. VI.

EX PROPHETA EZECHIELE. Cap. 18. V. 22. ibid.

## §. VII.

Ad incitas redigitur Broederfen cum suo Italo Interprete. Hunc usuras moderatas defendere evidenter demonstratur. 58

## §. VIII.

Pauca de Hebræorum commercio. 60

## §. IX.

Queritur Deus per Ezechielem, quod Pastores Israel occultarent usurarum pravitatem populo suo. Blandæ Pastorum opiniones Populum divino supplicio non subduxerunt. ibid.

## §. X.

EX EVANGELIO LUCÆ. Cap. 6. 62

Commenta Nicolai Broederfen refelluntur. ibid.

## §. XI.

Pyrrhonismus ab Autore Operis inscripti: Dell' impiego del danaro, suis interpretationibus in Divinam Scripturam invehitur. 65

## CAPUT IX.

Sancti Ecclesiæ Patres usuram omnem, sive parvam, sive magnam, sive a divitibus, sive a pauperibus perceptam improbant. Duplicis usura distinctio invehitur a Calvino, Molineo, & adoptata a Broederfen cum suis, in Sanctorum Patrum nemine reperitur. 67

TERTULLIANUS lib. 4. contr. Marc. cap. 17. 69

S. CLEMENS ALEXANDRINUS lib. 2. Strom. ibid.

LACTANTIUS Divin. Instit. lib. 6. cap. 18. 70

EUSEBIUS CÆSARIENSIS in Psal. 14. ibid.

S. ATHANASIUS. In Psal. 14. ibid.

S. JO: CHRYSOSTOMUS. Hom. 41. in cap. 17. Genes. 71

AUTHOR OPERIS IMPERF. Hom. 12. in cap. 5. Matt. ibid.

S. BASILIUS. Homil. in Psal. 14. 72

Inepta Broederfianorum commenta refelluntur. ibid.

S. AMBROSIUS. Lib. de Tobia cap. 6. 73



Lepida commenta Authoris Operis inscri-  
pti: Dell' impiego del danaro in S.  
Ambrosii doctrinam. ibid.

S. HIERON. Lib. 6. Comment. in cap.  
18. Ezech. 74

S. AUGUSTINUS. in Psalm. 36. Serm.  
3. 74

CAPUT X.

Conciliorum, & Pontificum decreta ad-  
versus usuram. 75

CAPUT XI.

Nicolaus Broederfen, & ceterique, qui ne-  
gant, Patres, Concilia, Canonēs, &  
Pontifices, omnesque Catholicos Theolo-  
gos damnare usuram quamlibet lucrato-  
riam, sive parvam, sive magnam, si-  
ve a divitibus, sive a pauperibus exa-  
ctam, ad Tribunal Calvinistarum, &  
Lutheranorum judicandi remittuntur.  
Miriorum quoque Casuistarum auctori-  
tate heretisa illorum doctrina decla-  
ratur. 76

CAPUT XII.

Author Operis Dell' impiego del dana-  
ro, se Calvinii, Molinæi, aliorumque  
Hereticorum de usura doctrinam pro-  
pugnare aperte confitetur, & adversus  
omnes Catholicos contendit, sanam esse  
hanc Protestantium, & suam de scno-  
re sententiam. 81

DISSERTATIO II.

CAPUT I.

Introductio in alteram Epistolæ Pontificiæ  
partem. 83

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. U N I C U S.

Possunt interdum occurrere tituli a mutuo

vere sejuncti, quorum vi ex pecunia  
mutuatitia lucrum jure exigatur. Quis-  
que etiam per contractus a mutuo om-  
nino diversos sua pecunia lucrari, an-  
nuosque emere proventus valet. Duo  
sanæ doctrinæ articuli confirmantur: &  
duo errores proscribuntur. Doctrina apud  
P. Thomam Tamburinum singularis. 84

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. U N I C U S.

Sæpe in contractibus vitium injustitiæ ser-  
pit, quamvis nulla usura sit. 85

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

Documenta quedam, quæ exequenda dili-  
gentissime admonet Pontifex Summus,  
brevissime exponuntur. 87

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. II.

A Sanctis Patribus, & iis Theologis, qui  
doctrina, & sanctitate splendent, consi-  
lium in his potissimum controversiis ca-  
piendum esse docet Pontifex Santissi-  
mus. 88

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. III.

Quinam ad has dirimendas controversias  
idonei sint. Qua via potissimum Evan-  
gelicæ Moralis studium comparandum,  
A Laicis ne, an a Religiosis viris pe-  
tendæ sint de rebus Theolog. decisio-  
nes. 89

CAPUT V.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

STATUS SECUNDÆ PARTIS  
CONTROVERSIAE APERITUR.

Duo gravissima capita Pontifex Summus  
decernit, firmatque in descripto Textu.  
Præceptum mutui in memoriam revo-  
catur. 92

§. II.

Opiniones Casuistarum, quæ primo pro-  
scribendo Errori de Titulis semper cum  
mutuo occurrentibus, causam dede-  
runt. 93

§. III.

CONSECTARIUM,

In quo concluditur, BENEDICTUM XIV.  
prudentissime, & gravi necessitate ur-  
gente damnasse recensitos Errores. 97

§. IV.

Varia contractuum formulæ, quæ causam  
dedere alteri gravissimo Errori proscri-  
bendo; videlicet mutuum semper comi-  
tari contractus aliquos, quorum præsidio  
lucrum justum evadit. ibid.

§. V.

Formula contractus, quam præbet Nicolaus  
Broederfen, inepta est, plenaque vitiis,  
& dolis. 98

§. VI.

Manifestantur contractus, quos in formulis  
recensitis supra §. IV. Theologi Probabi-  
listæ contineri propugnant. Gaspar Ro-  
dericus cum aliis Jurisconsultis ut hæ-  
reticam improbat sententiam, quæ de-  
fendit usuras moderatas licitas, etiam  
consensu Principum concessas. 100

§. VII.

Denuo confirmatur, Summum Pontificem  
BENEDICTUM XIV. prudenter præ-  
terivisse recensitos contractus, qui exci-  
tata controversiæ causam dedere. Quam  
inexcusabiles ii sunt, qui lamentantur,  
Romanam Sedem nullum ferre judicium  
in hunc, illumve contractum. Nisi Chri-  
stiani Evangelicæ doctrinæ spiritu instru-  
cti sint, nulla nova Constitutio, aut  
Decretalis sufficit ad retundendos cupi-  
ditatis cavillos. Si Evangelicæ Doctri-  
næ amore ac zelo ducamur, satis con-  
tra usuram provisum est. 102

CAPUT VI.

Universæ controversiæ status pleno in lu-  
mine collocatur. Capita in hac secun-  
da Pontificiæ Epistolæ parte contenta  
clarius explicantur. 104

§. I.

Scite Pontifex Summus num. III. & V.  
sua Epistolæ distinxit titulos mutuo ve-  
luti innatos, & intrinsecos, a titulis  
Quandoque extrinsecus supervenienti-  
bus: Item contractus a mutuo omnino  
diversos: & contractus in eadem pecu-  
nia, sub mutui forma tradita, implici-  
te, ut contenditur, inclusos. ibid.

§. II.

Universæ controversiæ scopus exponitur.  
Dua vie oppositæ defendendi expositos  
contractus. Altera Calvinii, Molinæi,  
aliorumque Hereticorum. Altera quo-  
rundam Casuistarum Catholicorum, qui  
Dogma adversus usuram propugnantes,  
re ipsa omne lucrum moderatum ab usura  
labe depurgant. Ambas defendit  
Nicolaus Broederfen cum nonnullis  
aliis. Utrasque vero improbat BENE-  
DICTUS XIV. in hac sua Epistola. 105



## DISSERTATIO III.

## CAPUT I.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. UNICUS.

*Extrema rigoris, & laxitatis vitanda. Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. illas seligi sententias jubet, quæ cum ratione, tum auctoritate Plane confirmate apparent, rejectis opinionibus minus probabilibus, quæ revera Plane ratione & auctoritate confirmate non sunt. Quinam Theologi præferendi? 107. & seq.*

## CAPUT II.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. UNICUS.

*Nonnulla sophismata adversus ea, quæ dicta sunt, diluuntur. 110*

## CAPUT III.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. UNICUS.

*Sensum erroneum, quem nonnulli Recentiores eruebant ex mandato Innocentii XI. Caveant ab omni censura, & nota, improbatum in rescripto Epistolæ Textu, ut ego quidem sentio. Quomodo Venerabilis Innocentii Papæ præceptum intelligendum sit, declaratur, & exponitur. 112*

## CAPUT IV.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

## §. I.

*Clare in hoc textu improbantur (ut ego quidem arbitror) contractus impliciti &*

*innominati, qui sunt mera mutui pallia. 116*

## §. II.

*Ultima usura larva. Census personales utrimque redimibiles. 117*

## §. III.

## CONSECTARIUM. 120

## §. IV.

*Sophisma disseminatum in vulgus, ab Edicto lato a Summo Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. quo vetantur immoderati realium censuum proventus, petitum. 121*

## §. V.

*Objecta diluuntur a censuum realium, quos Ecclesia probat, paritate arcessita. 122*

## §. VI.

*Alia resolvuntur objecta, a jure repetita naturali, vi cujus improbate moderate usura non videntur. 125*

## §. VII.

*Falsum commentum refellitur; nempe SS. Patrum tempore consuetudinem moderati fœnoris 4. aut 6. in centum non obtinuisse. 131*

## CAPUT V.

*Universi Operis Anacephaleosis. Documentis Catechismi Romani, atque Episcoporum Bragadani Veronensis, & Bossueti Meldensis, exprobrantis Richardo Simonio constantem Conciliorum, Romanorum Pontificum, Patrum, Interpretum, & Ecclesie Romanæ Traditionem adversus Usuram, Broederiani iterum ad incipias rediguntur; & Commentarius absolvitur. 135*

IN EPISTOLAM  
ENCYCLICAM  
BENEDICTI XIV.

COMMENTARIUS.

## DISSERTATIO PRIMA

## CAPUT I.

*Errores, qui edenda Decretali viam aperuere.*

**I.** **U**O sunt vitiorum genera affinitate summa devincta, concupiscentia nempe carnis, & divitiarum cupiditas, quibus maxima hominum pars semel irretita, & veluti dementata raro inde emergit, sed compedes in dies sibi aggravat, & vulnera vulneribus adjicit, donec omni ex parte fauciat, mortaliter ægrotet, æternumque demum periclitetur. Et quo homines in hæc flagitia abripiuntur impotentius, eo fortius humana mens, omnes exerit vires, ut lenociniis undique accitis, voluptatem, & avaritiam quapiam honestatis larva contegat, excusetque. Quæ sane honestatæ malitiæ ars, tempestate nostra ultimas attigisse metas videtur. Quandoquidem, quæ paradoxa his diebus vel de ipsa impudicitia non vidit, non legit, non horruit Italia nostra, repetitis typis cusa, ad concupiscentiæ jura tuenda, Regnumque libidinis amplificandum? Verum si plures hodie adversus divinam legem grassantur errores, divina factum Providentia est, ut Ecclesie Catholicæ SAPIENTISSIMUS PONTIFEX BENEDICTUS XIV. præsit, qui confixis libellis, errorum adversus sextum Decalogi mandatum plenis, continuo, immensa licet hoc impeditissimo tempore nego-

tiorum mole pene obrutus, ad errores, qui septimo Decalogi ejusdem mandato opponuntur, convellendos, animum adjecit, & Congregationem Purpuratorum Patrum, Prælatorum, atque Theologorum instituit, qui recrudescentes, atque recens excitatas de usuris controversias, omni partium studio semoto, accurateque dispicerent, suasque de iis opiniones scripto exararent. Quæ omnia adamussim peracta sunt.

II. Errores porro, qui Sedem Apostolicam sollicitarunt, ut paulo altius rem arcessiam, sunt sequentes. Calvinus, qui Paterenorum, seu Catharorum, aliorumque priorum temporum hæreticorum renovavit hæreses, errores quoque pugnantes cum divina lege, quæ usuras vetat, adoptavit, sed nova indutos larva. Vetitam absolute Judæis usuram asserit, sed legem hanc politicam, seu ceremoniam esse contendit, quæ, Evangelio promulgato, evanuit: Unde sequitur (inquit in octavum Decalogi præceptum) *usuras hodie non esse illicitas*. Obiter hoc de argumento Calvinus, sed ex instituto Carolus Molinæus scripsit tum Gallice, tum Latine. Novum ipse de usura invecum a Calvino errorem munitur studuit. Negat, usuram justitiæ commutanti adversari, si sit ad legum civiliū præscriptum exacta; sed cum



charitate tantum pugnare concedit, si nimia sit, vel a pauperibus percepta. Tria ille hominum genera distinguit. Unum eorum, qui mendicata stipe vivunt, mutuumque reddere nequeunt. Alterum eorum, qui ob aliquem fortuitum casum pecunia egent; opportuno tamen tempore illam restituere valent. Tertium eorum, qui divites sunt, nempe negotiatores, & fundorum, redituumque Possessores. Primis eleemosyna, seu mutuo, absque spereruperandæ fortis, succurrendum ait. Secundis gratis mutuandum, cum solius fortis restituendæ onere, sine lucro. A tertiis juste exigere usuras moderatas una cum sorte defendit.

III. Molinæ, Calvinique errores fusius amplificavit Joannes Cloppenburghius, & Claudius Salmasius Calvinistæ, qui mutuis scriptionibus acriter se se conflictarunt. In prima quippe a Catholicæ Doctrinæ secessione intestinum bellum arsit inter ipsos hæterodoxos, qui temporis postea decursu in hæresim usurariam prolapsi sunt omnes. Nullum peculiare Romanæ Sedis Decretum adversus hanc novam emanavit hæresim, quod jam satis luculenter prædamnata esset in tot Constitutionibus, & Conciliis, præcipue in Vienneensi sub Clemente V. Catholici omnes præfatam doctrinam aut hæreticam, aut hæresi proximam declararunt. Duo tantum, vel tres Catholicorum Authores sin proxime, saltem non valde remote, huic errori accesserunt: Videlicet P. Emanuel Maignanus, qui licet verbis omnem detestetur usuram, re tamen eam defendit sub larva contractus *Commissionis*; cujus Dissertatio & quinque Episcoporum, & Romanæ Sedis Censuris proscripita est. P. Andreas de Colonia 1676. edidit librum, in quo similiter usuram omnem improbat; sed in quolibet mutuo aut trinum contractum, aut censum realem, personalemve, vel denique quempiam alium innominatum, implicitumque contractum reperiri contendit, quo ab usuræ labe moderatum lucrum inde perceptum depurgetur. Istius

librum proscripsit Episcopus Gratiopolitanus Stephanus Le Camus, postea Cardinalis, eundemque Romana Sedes damnavit. Proximus hæresi accessit Auctor Libelli editi 1682. cui titulus: *Traité de la pratique des Billets entre les Negoziens*. Cognomen Auctoris est *le Coreur*, Presbyter Ecclesiæ S. Germani Antissiodorensis. Is fere primus cavillari mutui finitionem cœpit, duplexque mutuum commentus est: alterum consumptionis: negotiationis alterum. Illud, secus istud, verum mutuum affirmat, & lucrum ex eodem perceptum usuræ labe aspersum fatetur. Posterius non proprie mutuum appellat, sed contractum commercii, ex quo lucrum moderatum perceptum, cujuscumque usuræ expers est, honestusque proventus ab eodem nuncupatur. Usura quippe sine mutuo haberi nequit. Mutuum hoc in contractu deest: Igitur & usura abest. Sic ille.

IV. Hæc semina sunt excitata in Fœderato Belgio controversiæ inter transfugas Jansenistas. A duobus circiter sæculis obtinebat in Belgio, sicut & in aliis Regionibus, consuetudo censuum realium. Censui isti in favorem tantum venditorum redimibiles erant vi Constitutionum Martini V. & Callisti III. Pro istorum censuum legitima celebratione alias Constitutiones ediderunt Pius V. & Gregorius XIII. Sensim sine sensu censibus realibus sublatis, succedere census personales utrimque redimibiles. Quæ corruptela latius grassari cœpit, occupato ab Hæreticis Belgio. Ad Theologorum Tribunal sæpe delati fuerunt census isti, tamquam usuræ pleni. Consultationem Doctorum Lovaniensium habitam 1687. refert Nicolaus Broederfen *lib. 5. p. 3. cap. 2. & 5. pag. 930. & seqq.* ubi inter cætera hæc habentur. *Contractus illi in Conventu nostro non semel sunt propositi, & examinati: & licet multis omnino illiciti, ac usurarii, omnibus multo pleni periculo apparerent, visum tamen est aliquibus rationes aliquas proponere, quibus aut liciti, aut saltem in hac Patria tolerari posse viderentur . . . Nonnulli vero*

vero putabant, contractus illos, licet forte usurarii essent, ac illiciti, posse tamen in his Provinciis tolerari; nec videbant propterea absolutionem hominibus esse negandam, quia multi ex hac negatione timebant mala &c. Si plura cupis lege ipsum Broedersem, qui ibidem pag. 934. & seq. refert sententias Theologorum, & aliam Consultationem habitam 1688. Sententia Consultationis 1687. hæc est: *Unum hic fuit solemniter consultum, nimirum contractus illos ab Hollandis Presbyteris propositos, nihil differre a mutuo, esse verum mutuum, & etiam usuram.*

V. Alteram Consultationem Lovaniensium anno 1688. habitam, refert idem Broederfen *loc. cit. pag. 936.* die 20. . . . anni 1688. Iterum sunt per eodem casu convenerunt Exim. DD. Huygens Psmans, & De Svvaen.

Consideratum fuit, & ponderatum quanta enascerentur incomoda, si resolutio haberetur. Omnes ab absolutione removendos, quotquot contractibus istis implicati essent, vel si statim ad restitutionem cogrentur, quod nempe tota esset turbanda Hollandia, quod deserendi passim Confessarii de Clero, ac frequentandi Monachi &c.

Aliunde ponderatum fuit quanta cum Animarum pernicie trahi ad laxitatem a nonnullis posset, si pro resolutione diceretur, quosdam (qui prævidentur non acquieturi) in ignorantia sua, ac bona fide relinqui posse: Aut consideranda esse incommoda, quæ ex eliminandis istis contractibus oriri possent: Aut extirpandos illos esse, ubi commode id fieri potest &c. Id propterea (ne omnino nihil dicerent) visum fuit Resolutionem SIC GENERALIBUS TERMINIS exprimere.

Non intellexerunt DD. Consultores, signanter duo primi nominati, quid sibi velint illa, quibus eruditissimus D. Verryn in literis suis ad Eximium Huygens (quæ in hoc consensu prælectæ a me fuerunt) inculcat: alterius rationis esse contractus

illos, de quibus quæstio, & eos, quos passim vocant reditus utrinque redimibiles. Quod enim, inquit, Eximius Huygens, isti vocentur reditus, cæterique vocentur proprii nominis mutuum, parum facit, si attendamus reditus vocari cum addita particula alienante utrimque redimibiles; per hanc enim particulam veri reditus, sive census naturam amittunt, ut jam proprii nominis, emptio, dici non possint, atque ita, quoad substantiam saltem, recidunt in mutuum.

Frequenter ab omnibus dictum fuit, rem esse periculi plenissimam aliquid determinare circa singula quæstia Presbyterorum Schielandiæ.

VI. Judicium Doctorum, quod notis exhibet idem Broederfen ibi, ejusmodi est.

Infrascripti partim simul, partim singulatim examinavimus contractus, qui vocantur reditus utrimque redimibiles, prout etiam alios illis affines, in quibus datur summa pecuniæ sub his duabus conditionibus: quod is, qui dat, recipiet annue quatuor, exempli gratia, plus, minusve in centum: & summa data, dum danti placuerit, erit restituenda; modo qui recipit præmoneatur, exempli gratia trimestri, vel medio anno ante. Et quamvis non in omnia huc pertinentia omnes convenerimus; omnium tamen sententia est, dictos contractus, saltem propter periculum, esse vitandos; ideoque debere animarum directores, quantum possunt, eos eliminare.

VII. Plurima hinc eruit Nicolaus Broederfen, quæ persequi, & expendere hujus loci non est. Conclusionem dumtaxat transcribo, quæ evidenter, omni tergiversatione sublata, evincit, Doctorem hunc Jansenistam hæreticam Calvini Doctrinam hoc de argumento adoptare, & Doctoribus Lovaniensibus, consueta sua mala fide, infamiam labem aspergere. Ejusmodi est Broederfen Conclusio pag. 939. num. xx. *Ex quibus omnibus merito concludimus,*